Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



·ij·

In bethleem iude. Sic enim scriptum est per prophetam. Et tu bethleem
terra iuda. nequaquam minima es in principibus iuda. ex te
enim exiet dux qui regat populum meum israel. Tunc herodes clam
vocatis magis. diligenter didicit ab eis tempus stellae quae
apparuit eis. Et mittens illos in bethleem dixit. Ite et in
terrogate diligenter de puero. et cum inveneritis renuntiate
mihi. ut et ego veniens adorem eum. Qui cum audissent
regem. abierunt. Et ecce stella quam viderant in oriente
ante ibat eos. usque dum veniens staret super ubi erat
puer. Videntes autem stellam. gavisi sunt gaudio magno valde.
Et intrantes domum. invenerunt puerum cum maria matre eius. Et
procidentes. adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis obtu
lerunt ei munera. aurum thus et murram. Et responso accep
to in somnis ne redirent ad herodem. per aliam viam reversi
sunt in regionem suam. Dom. post epyph. Ad romanos.

Fratres. Obsecro vos per misericordiam dei. ut exhibeatis corpora vestra
hostiam viventem. sanctam. deo placentem. rationabile ob
sequium vestrum. Et nolite conformari huic saeculo. sed reformamini
in novitate sensus vestri. ut probetis quae sit voluntas dei bona
et beneplacens et perfecta. Dico enim per gratiam quae data est mihi
vobis. non plus sapere quam oportet sapere. sed sapere ad sobrietatem.
unicuique sicut deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore
multa membra habemus. omnia autem membra non eundem actum habent.
ita multi unum corpus sumus in xpo. singuli autem alter alterius membra.
in xpo ihesu domino nostro. Sancti lucae.

In illo tempore. Cum factus esset ihesus annorum duodecim. ascendentibus
illis in ierusalem secundum consuetudinem diei festi. con
sumatisque diebus cum redirent remansit puer ihesus in ierusalem.
et non cognoverunt parentes eius. Existimantes autem illum esse
in comitatu. venerunt iter diei. et requirebant eum inter cognatos